

tota illius gente ad interitum expetivit, utpote implicite contentam in universali edicto, quod adversus universam iudaeorum nationem obtinuerat. Hinc rex *Assuerus* (1) *domum Aman* h. e. huius bona reginae *Esther* merito dedit. Nam haec bona ob scelus ab *Amane*

commissum publicata, regis arbitrio cedebant, eademque, cuicumque vellet poterat elargiri: at nemo potiori iure iniquissimi illius viri exuviis frui merebatur, quam ii, quos improbitate sua in discrimen adduxerat (2)

## SECTIO IV.

## DE LIBRO IOB

Hic liber in eo potissimum argumento versatur, an Deus solum in impios hac in vita afflictionibus animadvertat, quemadmodum *Iobi* amici arbitrabantur: an vero pios quoque, ac iustos adversis probet, ut ipse *Iob* propria experientia edoctus contendebat. Ceterum, quisnam hunc librum conscripserit, non certo constat. Aliqui ipsum *Iob* eius auctorem faciunt, alii alium quem amicorum eius, alii *Moysen*, aut prophetam alium. Verisimilior est opinio *Origenis* et aliorum putantium, ab ipso *Iob* res, quae sibi contigerant, notatas aut conscriptas fuisse lingua patria, i. e. syriaca (3) seu arabica, vel idumaea; postea vero a *Moyses* ad solatium israelitarum in linguam hebraicam, retentis non paucis arabismis et syrisms, translatis, cum inter madianitas gentem in Arabia, syrorum et idumaeorum vicinam degeret (4). Porro non est mirandum, quod

(1) *Esther* c. 8, v. 1.

(2) *Esther* c. 5 et c. 18.

(3) *Sanctius* proleg. 8, in lib. *Iob* recte observat, quod, quando s. *Hieronymus* praefatione priori in lib. *Iob*, de sua huius libri translatione sic loquitur: « Haece autem translatio nullum de veteribus sequitur interpretem, sed ex ipso hebraico, arabicoque sermone, et interdum syro, aunc verba, nunc sensus, nunc utrumque resonabit: » per syrum sermonem non intelligat illum, qui ex hebraico, chaldaicoque conflatus est idiomate, qualem

*Moyses* dictae translationi arabismos et syrisms inspersionem. Cum enim diu, non minus annis quadraginta inter arabes seu madianitas, qui aut iidem sunt, aut certe non admodum diversi, commoratus fuerit, auresque audiendis arabicis sermonibus assuetas haberet, nihil mirum, si hebraicum sermonem, quem hebraeus ipse ab hebraeis didicerat, arabismis et syrisms inquinaverit: quam tamen linguae hebraicae corruptionem *Moyses* postea ad hebraeos reversus et subin scribendo Pentateucho intentus ad hebraici sermonis munditiam emendavit (5). Dixi autem, *Moysen* ad solatium israelitarum librum *Iob* ex arabico etc. sermone transtulisse in hebraicum; cum enim israelitae ab aegyptiis gravi servitutis iugo tunc premerentur, *Moyses*, ut afflictis vivum patientiae exemplum daret, vertit, ut diximus, librum *Iob*, in quo continuum afflictionum et tolerantiae

post solutam captivitatem babylonicam habuerunt hebraei. Neque enim illum agnovit *Moyses*, a quo memorata translatio huius libri facta est, quamque s. *Hieronymus* multa post secula fecit latinam; sed intelligitur sermo seu lingua, quae Syriae propria erat, israeliticis finibus vicinae. De quo pluribus *Origenes* in principio commentariorum libri *Iob*.

(4) *Exod.* c. 2, v. 15, et seq.

(5) Vide *Hermann. Goldhagen* introduct. in s. *Scriptur. vet. Test. part. 2.* pag. 211, n. 119.

certamen graphice depingitur. Ex his tria colliges. I. *Iobum* aetate praecessisse *Moysen*, aut certe eisdem fuisse synchronum seu coaevum; nec improbabilem esse opinionem eorum, qui asserunt, *Iobum* eundem esse cum *Iobab*, cuius mentio in libro *Genesis* (1) fit. II. Hebraeos, licet *Iob* non fuerit ex filiis Israel, sed idumaeus, vel arabs, qui ab hebraeis pro hostibus habebantur, tamen admisisse librum *Iob* in canonem suum non quidem ut scriptum arabice a *Iobo*, sed ut translatum in hebraeum sermonem a *Moyses*. III. Ex incertitudine, quisnam fuerit auctor libri *Iob*, non posse peti argumentum contra authenticam et divinitatem huius libri, cum divinae alicuius libri auctoritati nihil decedat, quatumvis eius scriptor ignoretur.

Denique si quaeras, quid nomen *Iob* significet, et unde is stirpem suam duxerit, aut ubi terrarum habitaverit? R. Graece sanctus iste vir ordinarie יֹבִיב *Iob* appellatur, hebraice autem יֹבִיב *Iob*, et יֹבֵב *Iobab* a יֹבֵב *Iabab* dicitur; et notio huius nominis *Iob* iuxta plerosque patres quasi idem est, ac *dolens* et *gemens*; *Riberae* vero et aliis recentioribus placet vocis etymon deducere ab יֹבֵב *inimicitias egit*; voluntque designari *virum ab inimicis vehementer agitatam*, vel *osorem impiorum*, vel *virum zelotem*. Quod autem *Iobi* stirpem et patriam attinet, is natus est in terra *Hus* inter *Idumeam* et *Arabiam* sita: unde vero genus suum duxerit, controversum est inter patres. Aliqui autumant, eum natum esse ex posteris *Nachor* fratris *Abraham*: alii verisimilium cen-

sent, *Iobum* fuisse illum *Iobab*, de quo in libro *Genesis* (2) sermo est, quiue erat pronepos *Esavi* ab *Abrahamo* descendens in quinta generatione. Nam *Abraham* genuit *Isaac*: *Isaac* genuit *Esau*: *Esau* genuit *Rahuel*: *Rahuel* genuit *Zara*: *Zara* genuit *Iobab*, sive *Iobum* (3). Vide hac de re *Salmeronem* (4) et *Calmetum* (5). His praenotatis, iam posteriores ac praecipuas de libro *Iob* quaestiones biblicas discutiamus.

98. QUÆRES I. An *Iob* vere extiterit, et res de eo in Scriptura narratae reipsa contigerint, vel tantum sint parabola ad patientiae exemplar conficta? R. *Iob* vere extitit, et vera in libro *Iob* narratur historia, quaeque reipsa contigit. Haec assertio nostra est contra talmudistas (6), anabaptistas, *Lutherum* (7), et quosdam etiam recentiores, inter quos est *Ioannes Clericus* (8) item contra quosdam antiquos, de quibus s. *Thomas* (9) testatur his verbis: « Fuerunt autem aliqui, quibus visum est, quod iste *Iob* non fuerit aliquid in rerum natura, sed quod fuerit quaedam parabola conficta, ut esset quoddam thema ad providentiae disputationem, sicut frequenter homines confingunt aliqua facta ad disputandum de eis: et quamvis ad intentionem libri non multum referat, utrum sic vel aliter fuerit, refert tamen quantum ad ipsam veritatem. » Ita doctor angelicus, quocum et cum unanimi catholicorum interpretum asserimus, narrationem de *Iobi* calamitate in sacris litteris consignatam esse veram historiam, et non fictam tragicomoediam ad pro-

(1) *Cap.* 56, v. 51 et 53.

(2) *Ibid.* v. 53.

(3) *Ibid.* v. 40, 43, 47 et 53; item I. *Paral.* c. 4, v. 53, 57 et 44.

(4) *Proleg.* 40, can. 25.

(5) In dictionar. bibl. v. *Iob*.

(6) In *Bava Bathra*.

(7) In *Symposiacis*.

(8) In *Iudic. theol. batav.* p. 274.

(9) *Prolog.* in lib. *Iob*.

ponendum patientiae exemplum excogitatum. Haec assertio tam gravibus rationum momentis demonstrari potest, ut *Ribera* (1) merito dixerit, dubitationem de huius historiae veritate, si non apertam haeresim, saltem manifestum esse errorem. *Caletanus* ait, *non licere hac de re dubitare*, i. e. de veritate historiae *Iob*. Similiter *Sixtus Senensis* (2) opinionem eorum, qui hanc historiam negant, *impium errorem*, atque haeresim vocat; *Belarminus* (3) *haeresim hebraeorum*. Quae minutatim adducenda duxi, quod noverim, fuisse aut esse nostra quoque aetate, qui rem hanc existimaverint alienam esse a fidei; errorisve periculo. Sed contrarium ulterius patebit ex sequentibus argumentis.

Nam I. s. Scriptura manifeste docet et supponit, *Iobum* extitisse in rerum natura, dum (4) ait: *Hanc autem tentationem* (caecitatem oculorum) *ideo permisit Dominus evenire illi* (Tobiae seniori), *ut posteris daretur exemplum patientiae eius, sicut et sancti Iob*. Et apud *Ezechielem* (5) *Deus* inquit: *Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noë, Daniel et Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas*: atqui certum est, *Tobiam, Noë et Danielem* fuisse homines in rerum natura existentes: ergo talis etiam fuit *Iob*, qui cum eisdem in Scriptura expresse ponitur. Praeterea s. *Iacobus* in epistola catholica (6) adhortatur ad patientiam exemplo *Iobi* exercendam: *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt: sufferentiam Iob audistis etc.*, ergo certum est, *Iobum* fuisse hominem in rerum natura existentem. Quae enim vis esset in adhortatio-

(1) Praefat. in *Iob*, c. 1.  
 (2) Lib. 8 haeresi 10.  
 (3) L. 1 de Verb. Dei, c. 5.  
 (4) *Tob*. c. 2, v. 12.

ne s. *Iacobi* si fictitium, ad quod provocat, *Iobi* esset exemplum, virtutemque commendaret imitandam, quae nunquam in rerum natura extitit, sed solum in idea hominum conciperetur, essetque conficta? Audiamus denuo doctorem angelicum (7) idem argumentum his verbis proponentem: « dicitur — *Ezechielis* 14 ex persona Domini: *Si fuerint tres viri in medio eius, Noë, Daniel et Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas*. Manifestum est autem, *Noë* et *Daniel* homines in rerum natura fuisse: unde nec de tertio eius connumerato, scilicet de *Iob* in dubium debet venire. Dicitur etiam *Iacobi* 5: *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt: sufferentiam Iob audistis, et finem Domini vidistis*. Sic igitur credendum est *Iob*, hominem in rerum natura fuisse. » Hucusque s. *Thomas*.

II. Communis est pp. consensus, *Origenis, Tertulliani, Cypriani, Basilii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Ambrosii*, quos *Calmet* praefat. in l. *Iob* citat, et plurium aliorum, veram esse historiam *Iobi*, utpote cuius heroicam virtutem hi patres praedicant, eiusdemque natales, calamitates et mortem historicis et chronologicis in tabulis consignat. Sic, ut alios taceam, s. *Augustinus* (8) appellat *Iobum sanctum et mirabilem virum, qui nec indigena, nec proselytus populi Israël fuit, sed ex gente idumaea genus ducens, ibidem ortus, ibidem mortuus est*.

III. Tam in menologiis graecorum, quam in martyrologio ecclesiae latinae b. *Iobi* memoria celebratur. Nam sexto idus maii i. e. decima maii apud nos in martyro-

(5) Cap. 14, v. 14.  
 (6) Cap. 5, v. 11.  
 (7) Loc. cit.  
 (8) Lib. 18 de civ. Dei, c. 47.

logio romano annuntiatur his verbis: *In terra Hus sancti Iob prophetae, admirandae patientiae viri*: apud graecos vero, teste *Natale Alexandro* (1), pridie nonas maii, i. e. die sexta maii eiusdem memoria celebratur. In menologio *Basilii Porphyrogeniti* imperatoris, inquit *hic auctor*, ad dictam diem haec leguntur: « Memoria *Iobi* viri iusti et multorum certaminum victoris. Prophetavit autem annos quinque et triginta, ac Christi incarnationem praecessit annis mille nongentis viginti et quinque.... Denuo etiam duplo maiores divitias super terram assecutus, et uxorem resumens, ac liberos suscipiens... in pace decessit. » Similia sunt, quae in ms. synaxario constantinopolitano, et in menaeis ac novo anthologio habentur. In menaeis totum officium ecclesiasticum est de s. *Iobo*, et eius virtutes, praesertim patientia, dignis laudibus celebrantur in canone. Eodem die celebratur etiam memoria *Iobi iusti* apud syros in typico s. *Sabae*, et apud arabes et aegyptios in martyrologio, quod ex arabico latine editum est. Ita testatur *Natalis Alex.* (2). Quis ergo prudens et sanae mentis dubitet, *Iobum* fuisse virum in rerum natura vere existentem?

IV. Tunc iudicanda est historia, non parabola, quando nomina adhibentur propria, personarum nimirum, locorum, aliaque exacte determinantur, quae in fabulis, et in parabolis negligi solent. Nam, ut s. *Chrysostomus* (3) ait: « Neque enim in parabola dicenda nomina sunt. Parabolae illae sunt, ubi exemplum ponitur, et tacentur no-

(1) Tom. 1. *Histor. eccles. dissert.* 15, propos. 1.  
 (2) Loc. cit.  
 (3) Tom. 2, homil. 4 de divite, et *Lazarus* in principio homiliae.  
 (4) De resurrectione carnis.

mina: ubi autem dicitur *Abraham*, et *prophetae*, et *Lazarus* et *Moyses*, hic verus *Lazarus*, si verus est *Abraham*, verus est *Lazarus*... Si verum dicit *Abraham*, verum intelligimus et *Lazarus*. » Similiter *Tertullianus* (4) resuscitationem *Lazarus* veram esse historiam, ex nomine *Lazarus* probat. *Quid illic*, inquit, *Lazarus nomen*, si non in veritate res est? Cur ergo non pariter veram *Iobi* existimemus historiam, in qua tot occurrunt nomina propria, et res aliae individuae ac certae, quae plane historiae et non parabolae aut fabulae characterem praeseferunt? Audimus enim in libro *Iob*, inprimis proprium nomen *Iobi* ac terrae *Hus* (5): recensentur ibi nomina amicorum eius (6); item numerus filiorum et filiarum ipsius (7); nec non numerus ovium, camelorum etc. (8), quas possedit: anni quoque vitae eius (9) etc. Atque haec abunde sufficiunt, ad demonstrandum, quod narratio de vita et patientia s. *Iobi* in sacris literis contenta, non sit duntaxat parabola, sed vera historia.

## ARGUMENTA CONTRARIA

99. ARGUM. I. Stilus libri *Iob* praesertim in hebraico fabulam sapit; narratio enim partim prosa, partim carmine quasi hexametro et pentametro digesta est, ferme sicut *Canticum Canticorum*, quod ideo pastoritiam fabulam et argumentum bucolicum continere agnoscitur: ergo quam parum liber *Canticorum*, tam parum liber *Iob* continet veram historiam, sed *Tragi-*

(5) *Iob*. c. 1, v. 1.  
 (6) *Ibid.* c. 2, v. 11; item c. 42, v. 9.  
 (7) *Ibid.* c. 1, v. 2; item c. 42, v. 15.  
 (8) *Ibid.* c. 1, v. 5; item c. 42, v. 12.  
 (9) *Ibid.* c. 42, v. 16.

comœdiam (1), vel fabulam poëticam, aut parabolam. ¶ Ad veritatem historiae perinde est, sive liber aliquis carminice, sive soluta oratione sit conscriptus; prout sacrae et profanae literaturae exempla satis docent. Nunquid enim cantica *Moysis* (2), *Deborahae* et *Barac* (3) et huius generis alia narrationem rerum vere gestarum ornatu poëtico referunt? Nunquid *Lucanus*, *Silvius* pluresque alii poëtae historias versibus ornant? Porro permagnum discrimen est inter historiam *Iobi* et *Canticum Canticorum*. Hoc enim non habet illos characteres verae historiae, quos in libro *Iob* elucere, supra (4) demonstravimus; sed ex toto orationis et argumenti genere ad sacri epithalamii formam exactum est; e contrario in libro *Iob* ea, quae simplicem historiam continent, stilo soluto in primis potissimum duobus capitibus, et in capite ultimo enarrantur. Dixi: *In primis potissimum duobus capitibus, et in cap. ultimo*. Nam in aliis quoque locis libri *Iob*, ut *Sanctius* (5) censet, non raro est soluta sine metro oratio, ut in capitum multorum exordiis, disputantium proponuntur nomina, aut aditus ad disputationem aperitur: quemadmodum cap. 32, ubi sex versus videntur esse a lege metrica soluti. Cetera deinceps *Iobi* verba et varia cum amicis colloquia etc., metro illigantur. Quale autem carminis genus, quae metri leges in libro *Iob* obtineant, aegre defi-

(1) Huic errori favet multorum protestantium partitio libri *Iob*, secundum dramaticas partes instituta: ex horum mente *Cocceius* tom. 1, *Avexd.*, p. 78, inquit: « Distribui hic liber varie potest. (1) Ex more tragoediarum animadvertitur post prologum, cuius partes sunt in principio libri, Protasis a v. 6, c. 1 ad v. 9, c. 2. Epitasis inde usque ad c. 27. Catastasis hinc ad sermonem *Elihu*, c. 32. Catastrophe sermone *Elihu*, Deique cum *Iobo*

niri potest, diversis auctoribus diversa opinantibus; qua opinionum diversitate viri docti etiam de stili ratione disputant, aliis in *Iobo* merum hebraismum, aliis merum arabismum videntibus. Sed, ut iam in praefatione ad l. *Iob* observavimus, utrumque extremum hac in re vitandum est, atque dicendum, librum *Iob* stylo et lingua hebraica a *Moyses* conscriptum esse, non tamen sine idiotismis arabicis et syriacis; testatur enim s. *Hieronymus* (6) de sua translatione l. *Iob* in latinum his verbis: « Haec translatio nullum de veteribus sequitur interpretem; sed ex ipso hebraico arabicoque sermone, et interdum syro, nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit. »

DICES: Est incredibile, quod *Iob* in summis tam corporis, quam animi doloribus carmina ad uxorem et amicos fuderit, aut hi vicissim virum tot aerumnis oppressum allocuti sint versibus, quos in libro *Iob* legimus: ergo iste liber non continet historiam, sed fabulam. ¶ Cum *Huetio*, *Natale Alex.*, aliisque eruditis viris, probe distinguendum esse inter historiae veritatem, et descriptionis indolem atque structuram. Nam omnino verum est, *Iobum* in rerum natura extitisse, in acerbissimas calamitates incidisse, adiisse ad ipsum uxorem et amicos, verbaque simul cum ipso conseruisse in eam sententiam, quam liber *Iob* refert etc.; verba vero, verborum-

collocatione, deinde sententia, et demum pristinae felicitatis duplicatione. (2) Possunt quoque hi actus distingui, sive in scenas distribui. (3) Sumi quoque potest distributio a personis. (4) Atque etiam a sermonum vicibus. » Ita *Cocceius*.

(2) Exod. c. 15.

(3) Iud. c. 5.

(4) Vide praeced. num. 65.

(5) Proleg. 1 in lib. *Iob*.

(6) Praefat. in lib. *Iob*.

que collocationem, dispositionem, figuras, et reliquum sermonis ornatum citati auctores repetunt ab ipso scriptore theopneusto, qui librum *Iob* conscripsit, sive dein is fuerit *Moyses*, sive ipse *Iob*, sive alius a Deo inspiratus scriptor. Potuit nempe *Iob* querimonias, poterant ipsius amici criminationes suas in eum proferre sensum, quo defacto in s. Scriptura extant, verbis licet e re natis, et ut ferebat occasio; quem sensum postea scriptor sacer libri *Iob* in metrum seu carmen rededit, retenta quidem historiae veritate, stilo tamen et ornatu verborum asiaticam poësim plurimum sapiente usus.

100. ARGUM. II. Nomina et rerum et personarum in libro *Iob* scenam redolent, utpote ex argumento huius libri (sicut in dramatis fieri assolet) deprompta et conficta. Sic persona primaria in ficta hac *tragicomoedia* ad proponendum patientiae exemplum instituta vocatur *Iob*, i. e. dolens, eius amicus *Baldad*, i. e. vetus amicitia etc. ¶ Arcana nominum significatio praesertim in vocibus ex hebraea origine derivatis adeo in s. Scriptura per frequens est, ut, si inde de personarum fictione statuere liceret, historia biblica quoad plurima in fabulam migraret; quid enim *Adam*, *Eva*, *Cain*, *Abel*, *Abraham*, *Isaac*, *Iacob*, *Iosue*, etc. (ut multa alia taceam) nisi arcanae notiones ex rebus, quae contigerunt, haustae? Nempe Deus saepissime voluit personas nominibus appellari, quae congruentem rebus ipsis, quae geruntur, significationem haberent. Sic. v. g. *Abraham*, i. e.

(1) Genes. c. 21, v. 6.

(2) Genes. c. 25, v. 25.

(3) Vide *Calmeti* diction. bibl. tom. 2 ad finem, ubi versionem literalem nominum hebraeorum, chaldaeorum, syrorum et graecorum in s. Scriptura occurren-

*pater magnae multitudinis* dictus est, eoquod esset pater futurus multarum gentium; *Isaac*, i. e. *risus*, quia mater in eius optato partu (1) dixit: *risum mihi fecit Deus*; *Iacob*, i. e. *supplantator*, eoquod supplantaverit fratrem (2), et sic de aliis hebraeis nominibus (3) loquendo. Imo inde firmum exquisitae hebraeorum sapientiae argumentum sumi ostendunt *Eusebius* (4), *Cyprianus* (5) et *Chrysostomus* (6). Quid proinde mirum, si *Iob* futurus patientiae exemplar, et praecipuus Iesu Christi, viri dolorum typus, ipsa vi nominis *dolorem* exprimat, aut si cetera nomina in libro *Iob* contenta, instituto suo quadrent?

101. DICES I. In libro *Iob* plura occurrunt nomina fabulosa, poëtis gentilibus usitata. Sic (7) nomina filiarum *Iob* haec referuntur: *Et vocavit nomen eius Diem, et nomen secundae Cassiam, et nomen tertiae Cornustibium*: atqui haec sunt nomina propria fabularum, qualia apud poëtas gentiles in usu erant: ergo liber *Iob* continet fabulam, seu tragicomoediam ad exhibendum patientiae exemplum. ¶ Nomina trium filiarum *Iob* non sunt fabulosa, sed sunt desumpta a virtutibus et speciosa forma dictarum virginum, ac prae se ferunt mirabilem pulcritudinem et gratiam tum internam, tum externam illarum. Unde s. *Gregorius Nyssen*. (8) inquit: « Litterae sacrae filiarum *Iobi* pulcritudinem admiratae, vocibus ipsis eximium hoc miraculum demonstrant, cum *DIEM* nomen audimus, honestatem; quemadmodum et apostolus filios lucis, ac diei ap-

tium ponit secundum ordinem alphabeti.

(4) De praepar. evang. c. 3.

(5) De montibus Sina, etc.

(6) Homil. 31.

(7) *Iob* c. 42, v. 14.

(8) Homil. 9 in Cantica.

pellat eos, qui vitam puram agunt. CASSIAE appellatione puritatem ac fragrantiam studiorum; CORNU vero AMALTHAEAE (1) laudem omnis generis virtutum significantes. » Ita s. Greg. Nyss., verbis paullulum immutatis. Similiter doctor angelicus (2) ait: « Et vocavit nomen unius DIEM, scilicet propter claritatem eius; et nomen secundae CASSIAM, quae est species aromatica, propter suavitatem ipsius; et nomen tertiae CORNUSTIBII. Est autem stibium, quo mulieres utuntur ad ornatum oculorum, secundum illud (IV. Reg. 9): DEPINXIT (Iezabel) OCULOS STIBIO, ET ORNAVIT CAPUT SUUM; quod quidem stibium in cornu a mulieribus conservatur, ut habeant ipsum paratum, cum opus fuerit: unde vocavit eam CORNUSTIBII ad designandam abundantem pulcritudinem oculorum. Unde et de pulcritudine earum subditur; NON SUNT AUTEM INVENTAE MULIERES SPECIOSAE SICUT FILIAE IOB IN UNIVERSA TERRA. »

Alii memorata nomina filiarum Iob non ex virtutibus et pulcritudine illarum, sed ex ipsius Iobi felicitate, quam post exantlatas suas miseras abundantem consecutus est, repetunt. Sic teste Sanctio (3) docet catenae auctor his verbis: « Primam, inquit, filiam Diem nominavit, ideo quod ab obscurissima aerumnarum nocte ad felicitatem restitutam divinitus, quasi ad diei lucem aspiciendam esset revocatus. Secundam Cassiam appellavit, quod iam is odoris quadam suavitate, bonorumque voluptate frueretur. Tertiam Amalthaeae cornu vocavit, quod vitam deinde vixerit omni bo-

(1) Ne mireris s. Gregorium Nyss. loco cornustibii dicere cornu Amalthaeae. Nimirum secutus est 70 interpretes, qui hoc loco pariter habent Ἀμαλθαίας κέρας Amalthaeae cornu, seu cornu copiae.

norum genere peraffluentem. » Tria enim Iob in suo certamine, eaque gravissima infortunia pertulerat, ex quibus cum iam esset solutus et liber, tamen illarum memoriam illis filiarum suarum nominibus conservare voluit. Iacuerat in tenebris, quod ipse non semel questus est (4): *In tenebris stravi lectulum meum.* Et (5) *Praestolabar lucem, et eruperunt tenebrae.* In tenebris autem nemo nescit aerumnosam exprimi vitae conditionem: ut ergo huius beneficii a Deo profecti, quo ex aerumnosa vita ad felicem revocatus est, nunquam oblivisceretur, primam filiam appellavit Diem, quasi iam evocatus esset ad lucem; neque timeret obcuratum iri splendorem illum, qui post longam noctem iam affulsisset. Quam gravis esset foetor ab ulceroso corpore Iobi, quam ab sterquilinio teter odor etc., satis ex libro Iobi perspicuum est. Cum autem iam gratum undecunque caperet odorem, et ipse ac tota domus efflaret non ingratum, quasi ex pretioso aromate, ideo filiam secundam appellavit Cassiam, quae est species aromatis, odorem gratissimum et purum spirans. Ad extremum cum Iob exsanguis iam esset, et consumptus macie, corrosus a vermibus et sanie diffluens, eo denique redactus, ut consumptis carnibus, pelli prope nuda adhaerent ossa, ut ostenderet, quam post finitam miseriam suam assecutus esset speciem nitentem, plenam et succidam, idcirco tertiam filiam vocavit Cornustibii, id est, vas pigmento seu antimonio plenum, quo picta facies repente mutatur, et alienum colorem ostendit tanquam suum.

(2) Commentar. in Iob c. 42, v. 14.

(3) Ibid.

(4) Iob c. 17, v. 15.

(5) Iob c. 50, v. 26.

102. SCHOLION I. Dictae duae diversae opiniones explicantes, quo consilio illa nomina trium filiarum Iob imposita fuerint, possunt conciliari, et velut in unam coniungi, ut Pineda (1) recte advertit. Dicit enim potest, quod nomina illa filiarum Iob ex utraque causa indita fuerint, cum ob earundem virginum specialem pulcritudinem tam externam quam internam, tum ad memoriam eximiae felicitatis a Iobo post finitas calamitates suas obtentae.

SCHOLION II. Sicut duplex est diversa opinio de causa, ob quam illa nomina filiarum Iob imposita fuerint; ita duplex diversa est sententia, a quo haec nomina illis indita fuerint, a parentene cum natae sunt filiae, vel a populo filiarum speciem admirato: utrumque est verisimile, neque facile est definire, utrum illorum magis videatur probabile. Et quidem usitatum fuit, ut patriarchae, virique sancti tale susceptae soboli nomen imponerent, quod accepti beneficii memoriam toties renovaret, quoties filii audiretur nomen, aut eiusdem aspectus occurreret. Sic Ioseph filiis quos servitute iam perfunctus, et extractus e vinculis suscepit, nomen imposuit, quod ipsum accepti beneficii immemorem esse non sineret. Nam (2) « vocavit nomen primogeniti Manasses (i. e. oblitus) dicens: oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domum patris mei. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim (i. e. crescens) dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae. » Eodem spiritu Moyses (3) in duobus filiis extare voluit suscepti a Deo beneficii famulare monumentum. Primum fi-

(1) Commentar. in Iob c. 42, v. 14.

(2) Genes. c. 41, v. 51 et 52.

(3) Exod. c. 2, v. 22.

lium vocavit Gersam (i. e. advena) dicens: *Advena fui in terra aliena.* Alterum Eliezer (i. e. adiutorium Dei) dicens: *Deus . . . . patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis.* Hoc eodem modo videtur Iob filiabus suis certa indidisse nomina, ut aerumnosae fortunae non oblivisceretur, ex qua tanquam e naufragio incolumis emererat: et ut Dei beneficium recens quotidie viveret in animo memori et grato.

Haec explicatio videtur praefenda, sed neque displicet, si dicas haec nomina non a Iobo filiabus indita, sed a populo, postquam harum contemplati sunt et admirati singularem formam, quae omnium in universa terra speciosissimaefuisse dicuntur. Est enim valde usitatum, ut homines pro eo nomine, quod in ipso vitae exordio a parentibus acceperunt, aliud deinde accipiant a vulgo ob aliquam proprietatem, aut notam, quod sive ad commendationem, sive ad convitium ipsis imponitur. Ab exemplis commemorandis abstinere, quae passim occurrunt: ex sacris literis aliqua adducam in huius rei confirmationem peropportuna. Pulcherrima fuit Susanna, ut constat ex s. Scriptura (4), quae, ut putat Sanctius (5), aliud fortasse nomen habuit a parentibus positum. Vulgus tamen hominum propter admirandam pulcritudinem Susannam vocavit, quod idem valet ac *lilium*, quod *hebr.* שושנה *scioscianah* dicitur. Speciosa item erat Esther, ita ut propter pulcritudinem ad regium nomen et thalamum (6) vocata fuerit. Quae a populo vocata est *Edissu* *hebr.* הדסה *hadassa* ab hebraica voce הדס *hadas*, quae *myrtum* signi-

(4) Daniel c. 15, v. 2.

(5) Comment. in Daniel. loc. cit.

(6) Esther, c. 2, v. 7.

ficat: quod nomen a profanis eandem ob causam datum est Veneri, quia myrto gratus est nitor, et perpetua viriditas. Sic verisimile est, aliud tres *Iobi* filias a parente nomen habuisse, aliud a populo: sunt autem nomina, quae nunc legimus, ad indicandam illarum foeminarum venustatem accommodata plurimum, ut supra (1) explicavimus.

SCHOLION III. *Iob* (idem est de populo tunc existente), et *Moyses*, qui librum *Iob* in linguam hebraicam (2) transtulit, extiterunt ante *Homerum* omnesque alios, quorum notitiam habemus, scriptores gentiles et veteres poëtas, ut iam p. I. Script. s. contra incred. propug. q. II. demonstravimus: adeoque dicta nomina filiarum *Iob*, quae *Iob*, vel populus illis imposuit, non potuerunt ex fabulis gentiliū poëtarum esse desumpta. Quodsi autem postea gentiles poëtae tam ista, quam alia plurima nomina aut historias e divina Scriptura suffurati sunt, et ad fabulas converterunt, id nobis non obest.

103. DICES II. In libro *Iob* mentio fit poëticae infernalis fluvii *Cocytii* (3), item fabulorum nominum *Arcturi*, *Orionis*, et *Hyadum* (4): ergo iste liber non veram historiam, sed fabulam poëticam sapit. R. In textu hebraeo non legitur *Cocytus*, sed נַחַל nachal, i. e. torrens. Unde etiam LXX interpretes posuerunt χειμάρρου, quae vox pariter *torrentem* significat. Ita enim habent: Ἐγλυκάνθησαν αὐτῷ χεῖμαρες χειμάρρου, *Dulces fuerunt ei silices torrentis*. Vulgatus autem interpres (nempe d.

(1) Num. 68.

(2) Vide praefat. nostram in lib. *Iob*.

(3) *Iob* c. 21, v. 55.

(4) *Iob* c. 9, v. 9.

(5) *Cocytus*, Arcadiae amnis est, quem poëtae unum e quatuor inferni fluvii esse comminiscuntur.

*Hieronymus*), ut rem hanc alia re valde nota et pervulgata illustraret, *Cocytum* pro torrente, seu speciem pro genere, *fluvium Arcadiae* (5) pro *rapido quovis fluvio* posuit: vel etiam ideo nomen *Cocytii*, qui unus est ex fabulosis fluvii infernalibus, versioni suae inseruit, ut impiorum ad inferos descensum designaret (6). Ceterum nulla adest probabilitatis species, ipsum *Iobum* aut *Moysen*, dum librum *Iob* primitus conscripsit, hanc infernorum fluviorum fabulam agnovisse, cum haec omnia non nisi diu post fuerint excogitata; ut ex supra dictis constat (7).

Sic etiam quando in l. *Iob* (8) legimus: *Qui facit Arcturum, et Orionem, et Hyadas* nequaquam animo fingere debemus, *Iob* secutum fuisse ethnicorum fabulas, vel stellas dedisse haec nomina, quae graecae originis sunt, sed ea ab interpretibus posita sunt: sicut etiam in l. *Iudith* (9) loco nominis *gigantum* graecus et latinus interpretes posuerunt poëticum nomen *filiū Titan* (10). Ceterum hebraicae voces, quibus harum stellarum nomina in textu latino respondent, obscurae sunt, neque eodem ab omnibus interpretibus modo vertuntur. Id ipsum iam observavit s. *Hieronymus* comment. in *Amos* prophetam, ubi haec nomina *Arcturum* et *Orionem* denuo legimus. « *Arcturus*, inquit laudatus s. pater (11) qui hebraice *Kimah* dicitur, a *Symmacho*, et *Theodotione* in *Pleiadas* vertitur, quem vulgo *Bootes* vocant. *Orionem* autem, qui hebraice dicitur *Kesil*, *Symmachus* absolutestel-

(6) Vide *Calmet* comment. in *Iob*, c. 21, v. 55.

(7) Num. 69, scholion 3.

(8) *Iob* c. 9, v. 9.

(9) *Iudith* c. 16, v. 8.

(10) Vide *Calmet* comment. in *Iudith* c. 16, v. 8.

(11) Comment. in *Amos* c. 5, v. 8.

las. *Theodotio* interpretatus est vesperum. *Hebraeus* autem, qui nos in Scripturis erudit, *Kesil* interpretari putat splendorem, et significare generaliter astra fulgentia. »

SCHOLION: Recte in hanc rem observat idem s. *Hieronymus* (1) monens his verbis: Quando audimus *Arcturum* et *Orionem*, non debemus sequi fabulas poëtarum, ridicula ac portentosa mendacia, quibus etiam coelum infamare conantur... Sed scire hebraea nomina, quae apud eos aliter appellantur, vocabulis fabularum gentiliū in linguam nostram esse translata. Qui non possumus intelligere quod dicitur, nisi per ea vocabula, quae usu didicimus, et errore combibimus. »

104. ARGUM. III. Non est credibile, quod *Iob* vir tam potens, tam omnibus carus, omnesque inter orientales paullo ante spectatissimus, repente prae miseria et egestate ad sterquilinum redactus fuerit; et quod ipsius amici, viri utique principes, qui consolandi gratia venerant, passi sint, *Iobum* iacere tam diu in sterquilinio ulcerosum et nudum, imo eundem ad tam miserandum rerum articulum redactum, verborum acerbitate multo exulcerarint vehementius: praeterea incredibile est, *Iobi* uxorem (ut LXX interpretes tradunt) in sua ditione seu regno ancillae munus obisse et vixisse mendicato: ergo liber *Iob* non historiam, sed fabulam comicam continet, ad exhibendum pa-

(1) Comment. in *Amos*, c. 5, v. 8.

(2) *Iob* c. 2, v. 6.

(3) Immo aliqui putant, daemone, ut olim per serpentem, vel etiamnum per energumenos, ita per uxorem *Iobi* locutum. Vere, inquit *Chrysostomus* (hom. 3 in *Iob*) *diaboli verba sunt haec quousque torquentis uxorem*. Et *Origenes* (lib. 2 in librum *Iob*) in illa verba Scripturae (*Iob* c. 2, v. 9): *Dixit ad eum uxor eius*, ita

patientiae exemplum excogitatum. R. Vetus historia, quia non raro repugnat moribus nostris, et adiuncta seu circumstantias quasdam omittit, multa habet apparenter absona, quae tamen reapse contigerunt. Ceterum nil supra fidem in *Iobi* historia narrari, facile intelliget is, qui in *Iobo* typum Iesu Christi, Deique in eo patientiae exemplar elaborantis consilium; datam insuper daemone in *Iobi* bona et corpus saevienti facultatem consideraverit. Et profecto, quicumque perpenderit traditam esse satanae potestatem in omnes *Iobi* facultates, et ea quae hominum opinione numerantur in bonis, una excepta vita (2); non mirabitur tam amplam et fortunatam domum tam grandi ac subita collapsam ruina, et hominum animos bene in tantum dominum ac parentem prius affectos, repente abalienatos esse, atque eundem non solum inclementer et dure, sed etiam superbe atque ignominiose tractasse, daemone nimirum ad ista vehementer incitante (3). Non erat *Iobo* minus potens, aut minus de suis, reque publica benemeritus *David*, et tamen relictus est et proditus a suis, impias manus adversus ipsum armante rebeli filio *Absalom*. Accedit, quod, cum s. *Iob* placuisse Deo cognovisset, ut ipse nudus et aeger pateretur relictus a suis, ipsemet in seipsum cooperari cum Deo voluerit, et illum locum, ac quasi palaestram tam duri certami-

commentatur: *Uxorem dixit dixisse, sed vere diabolus dixit*. Sic namque et olim ait: *Dixit serpens ad mulierem. Serpens ad mulierem. Serpentem dixit dixisse, sed non serpens dixit, sed diabolus, qui per serpentem locutus est*. Sic et nunc istic uxorem dicit dixisse, sed vere non uxor dixit, sed adversarius, qui per uxorem est locutus.

nis eligere, quam putabat ad executionem divini consilii opportunam magis. Quare sterquilinum elegit, ut cruciaretur foetore, et soli duritie, ubi ut homo, qui bene divinae noverat providentiae omnia suaviter disponentis morem, salutem sperabat propinquam magis, et si placeret Deo, prioris fortunae restaurationem. Ad extremum, ut supra diximus, etiam illud observandum est, quod in *Iobo* florente primum, deinde abiecto, et a domesticis et amicis exagitato, ac tandem ad maiorem gloriam revocato, expressa sit Christi Salvatoris imago, qui non minus ab illis, apud quos nomen obtinuerat illustre, derelictus est, et exagitatus multo acerbius, quam *Iobus*. Quodsi Christus a cognatis, imo et a Patre divino, ut in cruce moriens palam edixit, derelictus est, et ad illam carnificinam et ignominiam adactus, ad quam non pervenit *Iobus*: quid mirum, si in typo accidisse videamus, quod in figurato atque adumbrato multo acerbius contigisse, negare potest nemo?

Ex dictis facile patet, quid ad ea, quae de miseria et inopia uxoris *Iob* ex LXX interpretibus allata sunt, respondendum sit. Qui enim, quas in calamitates *Iob* devenerit, considerat, nihil circa egestatem uxoris incredibile animadvertet. Adde, quod haud adeo rarae in historiis tam sacris, quam profanis occurrant similes tristissimae rerum maximarum conversiones, et illustrissimae ruinae. Ceterum additamenta graeca libri *Iob*, quale etiam est illud de egestate uxoris *Iob*, in nostra vulgata latina non continen-

(1) Vide s. Basili opera ex editione mauriniana tom. 5, in appendice sermone 13 de patientia et longanimitate p. 546.

(2) Introduct. in s. Script. pag. 2, n. 122, pag. 215.

tur; immo neque in translatione graeca LXX interpretum in polyglottis card. *Ximenii*, quamvis eadem extent in polyglottis Bibliis *Waltoni*, in quibus (*Iob* 2, v. 9) oratio uxoris ad *Iobum* in versione graeca LXX interpretum latine reddita exprimitur his verbis: « Quousque sustinebis in putredine vermium sedes pernoctans sub dio; et ego errans et ancilla, locum ex loco, et domum e domo, expectans solem, quando occidet, ut requiescam ab aerumnis et doloribus, qui me nunc premunt etc. » Hanc orationem etiam graeci patres agnoscunt, et quidam illorum eam luculenter explicant. Sic s. *Basilii* (1) uxorem ad *Iobum* ita locutam inducit: « Vaga et ancilla oberro, regina servio, et ad meorum famulorum manus respicere coacta sum, et quae multos olim nutriti, bene nunc mecum agi existimo, si enutriar ex alienis. » Eodem ferme modo sermonem uxoris ad *Iobum* referunt *Chrysostomus* et *Origenes*. Plura de his additamentis libri *Iob* recenset *Hermanus Goldhagen* (2).

105. ARGUM. IV. In *Iobo* habemus hominem gentilem, et gentiliū poësin affectantem; concilium enim Dei cum angelis, et inter eos satanam instar Momi dicta Dei carpentis inducit (3); ubi videmus personas et res plane confictas: ergo liber *Iob* est fabula poëtica. Ita *Spinoza* (4). R. Hoc argumentum *Spinozae* impietate et falsitate plenum est. Nam I. Quamvis *Iob* non fuerit iudaeus, sed gentilis eo sensu, quod *legem scriptam* (nempe mosaicam) nullam sciret, fuit tamen *vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo* (5), i-  
psisque hebraeis, tanquam absolu-

(3) *Iob* c. 1, v. 6-15. Item c. 2, v. 1-7.

(4) Tract. theol. c. 10.

(5) *Iob* c. 1, v. 1.

tum exemplar virtutum propositus est. Ceterum quod inter gentiles (h. e. non profitentes, nec subiectos legi mosaicae) dati fuerint quidam homines sancti et iusti, quales praeter *Iobum* fuerunt *Melchisedech* et alii, norunt omnes, qui in theologia et scientia scripturistica non sunt prorsus peregrini. II. Gentiliū poësin non potuit affectare *Iob*, utpote qui dudum ante graecorum poëtarum tempora librum suum exaravit (1). Et licet hic liber metro ligato maximam partem compositus sit (2), a poëtarum tamen fabulis longissime recedit (3). III. Nihil est absurdi aut impossibilis in illo Dei cum filiis Dei seu angelis habito concilio, satanaeque interventu (4), sive dein dicatur, haec tantum referri figurate, et velut per figuram prosopopoeiae aut potius mimeseos, per quam verarum personarum verba et dicta, interdum etiam gestus per imitationem effinguntur et repraesentantur, ita ut cit. loc. libri *Iob* solum significetur omniscientia et providentia

(1) Vide supra num. 69, scholion 3.

(2) Vide supra num. 66.

(3) Vide supra num. 65.

(4) *Iob* c. 1, v. 6-15. Item *Iob* c. 2, v. 1-7.

(5) Annot. in *Iob* c. 1, v. 6.

(6) Ibid.

(7) Lib. 4 in libri *Iob* c. 1.

(8) Vide *Pinedam* comment. in *Iob* c. 1, v. 6, n. 10.

(9) Quando in s. Scriptura Deus dicitur apparuisse hominibus e. g. patriarchis, intelligendum est, quod angelus nomine Dei apparuerit. Equidem fuit haec veterum multorum opinio, Patrem divinum invisibilem esse, Filium vero a multis visum fuisse in veteri Testamento e. g. ab *Abrahamo*, *Moysi*, et prophetis, non quidem hoc sensu, quod Filius divinus non habeat eandem cum Patre naturam divinam, quae ex se invisibilis est, sed quod solus Filius destinatus ad humani generis reparationem Patris legatus et angelus formam visibilem olim assumpserit, in qua iam tum cum hominibus con-

Dei, et machinationes malae daemonum, vel custodia angelorum, ut volunt *Emanuel Sa* (5), et *Mariana* (6) cum aliis, et docere videtur ipse *Origenes* (7); sive dicatur, haec omnia per solam visionem seu revelationem divinam, quasi ita peracta essent, sacro scriptori librum *Iob* exaranti divinitus fuisse ostensa, ut vult *Polychron.*, *Eusebius*, et *Hugo* (8); ferme sicut *Zachariae* prophetae cap. 3, v. 1 etc. Deus ostendit *Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, et satanam stantem a dextris eius, ut adversaretur ei*; sive denique (quod verisimilius est) reapse talia concilia Dei cum angelis, et interventu satanae evenisse dicamus, eo tamen, qui spiritibus convenit modo, ita, ut colloquia illa satanae cum Deo, seu potius cum angelo quodam Dei nomine in concilio praesidente (9) fuerint solummodo spirituales cogitationum manifestationes; prout explicant *Ribera* (10), aliique. Certe verum aliquod colloquium satanae cum Deo

versari inceperit, non quidem corpori alicui (ut postea in Incarnatione fecit) unitus unione vera, physica et hypostatica, sed ad tempus solummodo in forma corporea se visibilem praebens, ut docuere *Cyprianus* (l. 2 contra iudaeos) *Hilarius* (lib. 5 de Trinitate) et *Gregorius Nazianz.* (tract. de Fide).

Sed verius est, omnes has apparitiones factas esse per angelos, qui corporibus assumptis Deum repraesentabant, sicut erant Deus repraesentative et auctoritative, non vero personaliter, prout longe communior PP., *Hieronymus* (in cap. 8 ad Galatas) *Augustinus* (lib. 5 de Trinitate c. ult.) et alii passim docent. Certe, qui apparuit *Moysi*, dixitque (*Exod.* c. 3, v. 6): *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, etc.* fuit angelus, ut testatur s. *Stephanus* (*Act.* c. 7, v. 50.) Nimirum angeli sunt administratorii spiritus, per quos Deus decreta sua exequitur.

(10) Comment. in *Iob* c. 1, v. 6.